

dicitur præcedente thesi regulæ præbet exemplum. Justè is ac lici-
tè cum offendatur , injusta ejus defensio mortis illatæ meritò
repensatur impunitate. Et istiusmodi offensio haud quaquam
hic supponenda. Injustè tantum alicujus vitæ periculum non ni-
fi cum morte inferentis vitabile si inferatur, justè ab invasō bel-
lum privatum fuscipi primô latius diductum discursu. Secus
itaq; invasorem occidentem in foro interiori haud excusan-
dum putaverim. Deus καρδιογνώσης animum & intentionem
occidentis respicit. Quare infelici ulciscendi aggressorem oc-
cidens rancore haud immunis à peccato. Lædendi adversarium
intentio interdictam vindictæ includit turpitudinem. Etsi enim
invasus occisionem invasoris ut medium ad sui defensionem in-
tendere possit ; ea tamen intentio defensionis tantum intuitu
extra ordinem justa reputanda. Ast defensio & vindicta amica-
bili gaudere nequeunt consortio. Defendendi animus occiden-
tem ab omni injustitiâ præstat securum. Ulciscendi idcirco in-
tentio contrarium dubio procul operatura. Ut alias ex agenti-
um intentione actionum humanarum laus & vituperium dime-
tiendum ; Ita & hic animus occidentis explorandus ad afferen-
dam occisionis justæ vel injustæ evictionem. Eò ipso tamen, quô
ex agentis intentione actionis conditionem æstimandam asle-
ro, reliqua, quæ ad actionis justæ vel injustæ constitutionem re-
quiruntur, haud exclusa velim. Non ignorans, intentionem esse
extrinsecum quid, naturam actionis & essentiam non tollens.
Unde actionem per se malam ex intentione agentis bonam
haud reddi exemplorum facilè probare posset inductio. In præ-
senti interim occisionis actu præcipuam in foro conscientiæ in-
tentio occisoris absolvit partem. Ad defensionem corporis
vitæq; si ea directa, justum reddit actum. Cum minimâ verò vin-
dictæ particulâ si conjuncta eadem, adeò tutum in conscientia
haud reddit imperfectorem.

VI. Atverò in foro exteriori tam rigorosum intentionis
examen sibi locum haud vindicaturum. Sola offensio vitæ illici-
ta, & proportionata ejusdem propulsatio securum reddit occi-
forem. Exterior propulsandi actus defensionis dicitat qualita-
tem. Vis atque injuriæ illationis duratio, ritè factæ defensionis
cateris